



hostibus sine omni ratione in dubium vocari. Id enim confiteri, per ipsa sua placita coguntur. Non omne est. Maiora molior. - Probabo, ipsos Socinianos eorumque de Salvatore cogitationes magno Christi diuinitati firmamento esse. Tales enim saepe de Iesu, Salvatore nostro, aduersarii amplexi sunt sententias veras, si ab illarum nexu discedas, et innocentes, quarum si vera Saluatoris diuinitas non causa forte vnica debeat dici, confirmare tamen atque magis magisque corroborare vera illas diuina Christi natura poterit. Quare in medium proferamus tales de Iesu cogitationes Socinianorum, ipsis et verae Christi diuinitati saluberrimas. Quum autem maior sit varietas et multitudo earum, quam capere scriptum hoc meum commode queat: ex quavis *Sectione* singulisque eiusdem *Capitibus*, in quae Catechesis diuisa est praecipuas tantum, quae ibi occurrunt, atque in tali causa vñ venire mihi possunt, proponam, ne longius neque progrediamur, quam par est fieri in tali opere, neque ita agamus, vt assentati esse nobis quid forte videamur.

§. II.

Vt itaque nihil eorum in praeteritis relinquamus, quae rei nostrae maxime inferuiunt, sicque, quae inimici in hacce causa dicunt, persequamur omnia, vt Catechismus ipse nobis illa exhibuit: ab iis volui sententiis ordiri maxime, quas *Sectio I. Caputque I. de certitudine sacrarum litterarum* nobis suppeditat.

tat.